

bus allegando, quod nos omnibus aliis pretermisiss ad nostram sedem peccuiliarem, ad urbem videlicet veniremus Romanam. Quibus ambaxatoribus diligenti deliberatione habita cum fratribus nostris duximus respondendum, quod propter concilium generale, quod dante Deo tenere in proximo mense Octobr(is) debemus, et propter alia etiam ardua negotia, que citra montes habebamus necessario expedire, non poteramus circa premissa impresentiarum petitionem huiusmodi exaudire. (3) Novissime vero tam rex ipse per suos nuntios speciales quam ambaxatores predicti nobis secrete absque nostris fratribus humiliter et cum instantia supplicarunt, intendentes nichilominus id idem nobis in concistorio publico supplicare, ut nos pro ipsius regis honore et comodo ac pro statu pacifico in ipsius Urbis et Lombardie Tuscieque partibus ac terris pecculiaribus ecclesie, que guerris multiplicibus affliguntur, refformando, ad quod asserunt regem ipsum intentis studiis hanelare et iam circa hoc bene proficere, quasi esset a Deo angelus destinatus, necnon et pro multis aliis utilibus causis et necessariis utilitatibus in rationibus coram nobis per ambaxatores ipsos expositis explicatis, eidem regi per aliquos ex fratribus nostris, cum per nos ipsos hoc fieri statuto non posse tempore bene videant, sicut asserunt et est verum, et dilationem tam dicto regi quam Urbi et toti provinciarum Lombardie ac Tuscie populo terrisque predictis ecclesie periculosam dicant notorie ac dampnosam, unctionem, consecrationem et coronationem predictas celebrandas ad tardius in proximo festo Penth(ecostes)<sup>a. 1</sup> concedere dignaremur. (4) Verum quia quidam ex consiliariis tuis et nuntiis nunc apud sedem apostolicam constitutis nobis secrete dixerunt, aliquos dicere, quod nos repente processeramus in negotio dicti regis et quod sinceritas tua, quam scimus honorem nostrum et Romane ecclesie puro corde diligere, affectabat, quod nos in hiis et aliis essemus avisi quodque faceremus id, quod expedire utilitati ipsius sedis apostolice videremus, dilectus filius . . abbas monasterii Sancti Medardi Suessionen(sis) a regia serenitate ad nostram presentiam destinatus nobis secrete non ex parte tua, set ex se ipso et ex parte dilecti filii nobilis viri Ingerranni cambellani tui exposuit, quod sibi et dicto Ingerranno utile videbatur, quod coronationem dicti regis differremus saltem usque ad terminum supradictum propter aliqua bona, que inter te et ipsum utilia tibi et ei ac

a) 'ad — Penth.' auf Rasur.

1) 1311 Mai 30.